



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Psalmi, Sev Precationes D. Ioan. Fisheri Episcopi Roffensis**

**Fisher, John**

**Lvgdvni, 1572**

Psalmvs XI. De fiducia in Deum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41688**

Qui virtute tua ab æterno imperas, oculi tui omnia contemplantur.

Quis Deus præter te? quis fortis sicut tu Deus noster?

In umbra alarum tuarum sperabo donec prætereat malitia.

In te fortis ero, & securus in sempiternum, & in seculum seculi, Amen.

## PSALMVS XI. DE

*fiducia in Deum.*

**D**omine lux mea, & salus mea, à quónam metuam?

Domine fortitudo vitæ meæ tu, in quo semper sperabo.

Quemadmodum enim ceruus ad riuulos aquarum, sic desiderat anima mea ad te, ô Deus.

Sitit ad te anima mea, quoniam apud te est fons vitæ, & refrigerium in tribulatione.

Hic labor atque dolor, calamitas atque miseria.

Quotidie bellum cum inimicis, nulla requies nec pax in vita nostra.

Sed quisquis in adiutorio tuo fiduciam posuit, securus protectione tua in æternum consistet.

E. ij

Is tibi dicet, susceptor meus es tu, & refugium meū, Deus meus in te sperabo.

Tu liberabis me de laqueo venantium & à periculis persequentium.

Sub scapulis tuis vmbra ei facies, & sub alis tuis illæsus erit.

Scuto circumdabit eum veritas tua & malum ad eum non appropinquabit.

Et propterea, si inimici mei aduersum me prælientur, vt me totum deuorent, terga minimè vertam.

Si steterint aduersum me castra potētium, non timebit cor meum, si ingruat mihi mors, in te securus ero.

Tu abscondes me in tabernaculo tuo, in die malorum abscondes me in secreto tentorij tui, super petram me constitues.

Leuabis me supra inimicos meos me circumuallantes, & de manibus eorum eripies.

Si ambulauero in medio tribulationis, me custodies aduersus inimicos tuos, manum tuam extends, & dextera tua me saluabis.

Domine, tu omnia pro me perficies, ò Deus, in æternum misericordia tua, opus manuum tuarum non despicias,

Educes

Educes me de reti, quod expanderunt  
pro me inimici mei, & de fouca eorum  
me subduces.

Quanta sunt bona, quæ reponis ijs  
qui te timent, quæ ostendis etiam confi-  
dentibus in te coram filiis hominum!

Occultas eos in occulto vultus tui, à  
conturbatione hostium, & à contentio-  
nibus eorum.

Quàm preciosa est bonitas tua Domi-  
ne! & filij hominum in vmbra alarum  
tuarum sperabunt.

Saturabuntur ab vbertate domus tuæ,  
& torrente deliciarum eos potabis.

De fonte vitæ tecum bibent, & in tuo  
lumine lumen videbunt.

Iustitia tua sicut montes altissimi, &  
iustitia tua abyssus multa.

Cælos pertingit misericordia tua, &  
vsque ad cælos veritas tua.

Deus tu refugium fuisti nobis, à ge-  
neratione in generationem.

Prius quàm fundamenta terræ iace-  
rentur, à seculo & vsque in seculum tu  
es Deus.

Deus meus tu opem mihi tulisti à  
iuuentute mea, & vsque ad senectam &

canos, ne derelinquas me.

Fortitudinem meam adscribam tibi, quoniã tu es protectio mea, Deus meus, & Saluator meus.

Et ideo quacunque die territus fuero, ego in te confidam.

In quacunque die te inuocauero, scio quod Deus meus es tu.

In æternum custodi mihi misericordiam tuam, & fœdus tuum fidele mecum perster.

Et si deseruerim legem tuam, & in iudicijs tuis non ambulauerim:

Si statuta tua prophanauerim, & præcepta tua transgressus fuerim:

Iam virga tua visita præuaricationes meas, & verberibus tuis scelera mea.

At misericordiam tuam à me ne tollas, neque fidem tuam irritam reddas.

Ne scindas fœdus quod nobiscum iniisti, & quod egressum est de labijs, ne immutes.

In te enim salus & gloria nostra consistit, Deus adiutor nobis, in quo semper speramus.

Et hoc certum est, quòd omnes qui in te confidunt, non confundentur.

Quis

Quis enim sperauit in te, & confusus est? aut quis inuocauit te, & despexit illum?

Propter nomen tuum Domine remittis peccata nostra, licet multa sint & grandia.

Tu firmamentum es timentibus te, & testamentum tuum illis ostendis.

Et ego ad te clamo Domine, & credo quod saluabis me propter magnam misericordiam tuam.

Redimes in pace animam meam ab ira, quae ventura est in extremo die.

Immolabo tibi hostiam laudis, & reddam Altissimo vota mea.

Me expectant impij, vt perdant me, sed ego in misericordia tua confido.

Protector meus, & scutum meum es tu, Deus meus fortitudo mea, refugium meum, & liberator meus.

Expecto salutem tuam Domine, beatus homo qui in te confidit.

Quanta mihi in caelis Domine, vt nihil praeter te placeat in terra?

Tibi adherere peroptime mihi placeat, & in te fiduciam meam collocare.

In manus tuas Spiritum meum com-

mitro, redime me de potestatibus re-  
brarum seculi huius, Amen.

PSALMVS XII. SI DEVS

*paulò diuini auxilium suum  
differat.*

**D**Eus meus, Deus meus, ecquare me  
derelinquis? cur non respicis ad ne-  
cessitatem meam?

Nunquid deficiet in æternum miseri-  
cordia tua? num vnquam placidus eris  
vltrà?

Quousque indignaberis mihi Domi-  
ne? ane penitus accendes velut ignem  
iram tuam?

Quando tandem respicies, vt eripias  
animam meam, à deuastatione inimico-  
rum vnicam meam?

Vsquequo clamabo, & non exaudies?  
vociferabor ad te vim patiens, & non  
saluabis?

Domine Deus exercituum, quousque  
irasceris super precibus serui tui?

Redi ad me, ô Deus Saluator meus, &  
solue tuam erga me indignationem.

Deus, tu conuersus omnia restituis,  
& qui prius moestus erat, de te lætitiã  
capiet?

Ad sic